

nostra praesentia celebrantur, ut debiti roboris perpetuam et inviolabilem obtineant firmitatem, nos executioni mandare convenit scriptis nostris, notum esse volumus tam praesentibus quam futuris Christi fidelibus universis, quod Magnus et Guntherus fratres filii Guntheri militis de Dewin in provinciali placito Cholme in nostra praesentia constituti publice sunt confessi, quod receptis a venerabili viro domino Walthero praeposito sanctae Crucis XL<sup>a</sup> et VIII marcis argenti quinque mansos in villa Windisclup<sup>a</sup>) cum fructibus agris areis ac pertinentiis universis de suorum consensu heredum ad usus monasterii supradicti et sanctimonialium ibidem domino servientium vendiderunt, resignantes ibidem in manus nostras publice cum suis coheredibus mansos ipsos. Unde ne super praedictis eidem monasterio in posterum lis ab ullo hominum valeat suboriri, pacem firmantes in mansis eisdem auctoritate iudiciaria loco ipsi praesentem paginam inde conscribi et sigilli nostri testimonio fecimus muniri. Huius rei testes sunt Meinherus burgravius de Misne, Erkinbertus burgravius de Starkenbere, Hermannus et Otto fratres de Suselitz, Syfridus de Mugelin, Otto et Bodo fratres de Ilburc, Heinricus dapifer de Burne, Volmarus de Messowe, Heinricus de Rideburc, Vricus et Johannes de Pac fratres, Heinricus de Pilatswitz, Tammo et Burchardus fratres de Dewin et alii quam plures. Datum Cholme XVI. Kal. Decembris anno incarnationis domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. XXVIII<sup>o</sup>.

Copialb. fol. 11<sup>b</sup>.

a) Wendisch-Luppa, Par. (Deutsch-) Luppa.

### No. 398d. 1230. 13. Jan.

*Die vom apostolischen Stuhle delegirten Richter bezeugen, dass die Irrungen zwischen dem Kreuzkloster und den Gebrüdern von Warta wegen einer streitigen Waldgrenze beigelegt worden sind.*

B. dei gratia abbas in Buch, P. decanus et A. sanctae Aefrae praepositus Misnenses iudices a sede apostolica delegati omnibus ad quos praesens scriptum pervenerit salutem in domino Ihesu Christo. Cum post sopitas per iudicia ecclesiastica questiones necessarium modis omnibus habeatur, ut occasio litis cesset et ne mala quae quieverant redeant novo modo per scripta et fidelium memoriam aditus praecludatur, notum facimus universis hanc paginam inspecturis, quod super distinctione habita inter venerabilem virum dominum Walterum praepositum et conventum monasterii sanctae Crucis ex parte una et Heinricum et Tymonem fratres de Warta ex altera post dicta testium, post inquisitam canonice veritatem et post addictam a nobis sententialiter possessionem monasterio supra dicto fratres iidem a prudentibus ammoniti et muniti liti cesserint, remittentes omnem penitus actionem, quae ipsis in silvula quam distinctio continebat (?) competere videbatur, absolutionis beneficium impetrarunt, maxime cum pro distinctione non servata et possessione ecclesiae perturbata excommunicationis sententia fuerant innodati. Ut deinceps et in omnia